



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

Mensis October.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)



MENSIS OCTOBER.

S. REMIGIVS
 Archi-Episcopus.

1. Octobr.

*Secundum eum, qui vocavit vos,
 sanctum; Et ipsi in omni conver-
 satione sancti sitis. Pet. 1. Ep. cap. 1.*

EXulta Gallia, ex errorum pelago, per
 Sanctum Remigium ad portum salutis
 appulsa Hic bono coronæ natus, Regem, edi-
 to voto, victorem contra hostes, aquis ba-
 ptismi abluit & totius nationis eluit supersti-
 tionem. Huic actui columba nive candidior
 coelo Chrisma attulit, quo creduntur etiam-
 num Reges Franciæ inungi. Episcopatus, quo
 ob virtutem præmatura ætate, anno supra vi-
 gesimum secundo decoratus est, præfuit qua-
 tuor & septuaginta annis. Sub extremum vi-
 tæ

P

tæ

tæ visu caruit, non agrè urique, ne tot cog
retur scelera videre; sed ne, pastor cæcus
contra lupos non sat pervigil esset, oculorum
usum à cœlo recepit. Remos, sedem suam
orto ingenti per urbem incendio, formati
gno crucis, servavit incolumem: hæreticu
ne, ne alios eloquentiâ suâ inficeret, mutua
reddidit; sed, cum respisceret, melius de
inceptis locuturum restituit. Demum Remos
suos, in vitæ fidei portu incolis firmatis, mo
riens reliquit, nonagenario major, cœlo ani
mâ gloriosè investâ. Corpus à morte, cum
multo tempore sine cultoribus esset, angelis
ministris translatum, & non sine miraculis
venerationi redditum: id modo memores re
colunt Galli, Remigium, qui primus Chri
stianum Regem fecit, Christianissimi ut nunc
gloriosè audiant omnes, fundamentum posuif
se. *Lippeloo.*

MEDITATIO.

De Sanctitate Hominis Christiani.

I. **O**Mnis sanctitas tribus verbis continetur: *ab
stine, sustine, aggredere*: abstine semper rebus
illicitis & periculosis frequenter verò licitis & inno
xiis. Abstine terrenis delitiis, Christi causâ voluptate
abstinere, voluptas est omnium suavissima, Ah Do
mine, video te cruci affixum, scio infernum volupta
tibus deditos manere; & ego delitiis indulgeo!

2. *Sustine* vim concupiscentiæ, mundi & Dæmonis. Frange tuâ patientiâ impetus hostium tuorum, patere fictorum amicorum perfidiam: sustine tot ac tam varia vitæ præsentis mala. Contendo, te nullum adhuc diem vixisse, omni prorsus molestia vacuum: nullus hoc in mundo contentus est, quia tam amplum est cor hominis, ut solo Deo possit repleri. *Pone quem volueris statum, non apud infima istic, non apud summa requiescitur.* Eucher.

3. *Aggredere* grandia ut sanctus fias; opus sanctitatis magnum est, non nisi assiduo, improboque labore perficitur; itaque labora diligenter in acquirendis Christianis virtutibus. An potes verè dicere, te vel unam virtutem acquisivisse? ne tamen cadas animo nam velle sanctitatem, sanctitatis initium est. Vide quid impediêrit, quo minùs hanc acquisieris sanctitatem, nugis fortasse retinêris ut olim S. Aug. qui ait; *Retinebant me nugæ nugarum & vanitates vanitatum.*

S. LEODEGARIUS Episcop. & Mart.

2 Octobr.

*Si oculus tuus dexter scandalizat te,
erue eum, & projice abs te.*

Christus Matth. c 5.

Nemo pulchrius in hostem suum, quàm
Pont. Augustodunensis Leodegarius
movit

P 2

movit, ut qui huic cum sacris è templo signis
 obvius ivit, victoriam ratus sub his vinci.
 Captus itaque tunc demum Christianâ se li-
 bertate potitum credidit. Carcerum tenebris
 abditus igne è cœlo misso resplenduit. Oculis
 orbatus primùm Martyrem se esse vidit. Nu-
 dips per testas & aspera saxorum fragmina
 iussus ambulare, currere etiam ad tam opta-
 tam metam gestiit. Labiis & linguâ multatus,
 sine labiis tamen & lingua facundus ad con-
 cionem dixit. Cæsus denique securi in novos
 animos surrexit, horâmq; totam victor post
 mortem stetit, nec nisi à spiculatore impulsus
 cecidit. At non tam felici morte cædis aucto-
 res defuncti sunt. Nam & Carnifex, de quo
 dixeramus, à malo Genio correptus in vindi-
 ces flammâ se ipsum immisit, mox in mayo-
 res alias mittendus; &, qui cædem impera-
 verat, Ebroinus Regiæ Aulæ præfectus, gla-
 dio, quem in innocentem strinxerat, ipse
 nocens occubuit, & demum qui tumulum
 Martyris impiè calcavit. Divûmq; sine mi-
 raculis injuriosè compellavit, in ipso vestigio,
 moriendo mendacem se fassus est, & jam mi-
 racula patrare Leodegarium si non aliis, certè
 sibi credit. *Ex Suario.*

MEDI-

MEDITATIO.

*Expedit, ut Christianus in multis sit
cæcus, mutus, & surdus.*

1. **U**T Christianus hoc in mundo tranquillam vitam
ducat, in multis sit cæcus, adeo, ut nunquam
videat, sivè quod ejus in animo minus castos ignicu-
los accendere, sivè quod inutilem afflictionem adde-
re, sivè quod ipsum superbum efficere possit. Sua sem-
per, aliena nunquam vitia consideret. *Domine averte
oculos meos, ne videant vanitatem*, videant duntaxat tur-
pitudinem peccati, ac virtutis pulchritudinem.

2. Homo Christianus plerùmque mutus esse de-
bet, maximè, cum prurit lingua in proprias laudes &
vituperium aliorum. Nullum unquam proferat ver-
bum Christianæ charitati contrarium: nam ferè fit, ut,
qui multum loquitur, multa peccet, & ea quandoque
verba effutiat, quorum eum pœniteat. Ut quis in ver-
bis non offendat, *nihil aique proderit, quàm quiescere, &
minimum cum alio loqui, plurimum secum.*

3. Quorsum omnia audire & scire cupis? tot verba
prava, tot detractiones, tot sermones minus casti, &
impii sic vanis, & periculosis cogitationibus mentem
tuam turbant, ut tranquilla esse nequaquam possit.
Ama solitudinem si non potes corporis, at mentis, &
facile admodum hæc tria consilia servabis. *Secede ergo,
sed mente, non corpore: sola indicitur tibi mentis, non cor-
poris solitudo.* Bernard.

S. JOANNES CHVZV
BITA, CONFES.

3. Octob.

*Quam Angusta porta, & arcta
via est, quae ducit ad vitam? &
pauci sunt, qui inveniunt eam.*
Christus Matth. cap. 7.

Non aliud altiùs in hostem infernum vul-
nus descendit, quàm quod à demissi-
animi dextrâ venit. Miserat ad Ioannem Chu-
zubitam Anachoretē alter Anachoretēs A-
naniās nescio quem à malo Genio infessum.
hunc vix ita noster compellavit: (Eja cedere
impure te hospitio non tuo, non ego sed A-
naniās jubet) cùm verba hæc plena animi de-
missioris jam dudum exosus fugit ocyùs hostis
superbus. Et pepeperat fama miraculi huius
Joanni Pontificatū Cæsariensem. Ille tamen
mox iterum urbem cum sylvis suis mutavit,
ingens onus infulam se abjecisse existimans.
Secutus Divum rusticellus filium itidem ab
Orco agitatū in sporta è tecto suspendit, &
ecce arrogans iterum pulsus est inquilinus.

Ergo igitur, ut ultum hic iret dolorem suum,

Ioan.

ZV. Iohannem præcipitem è monte egit. Sed qui
 caderet humi semper repens animus? risit sci-
 licet Veteratorem altiùs longè olim cadentē.
 Porro sub ultimos vitæ annos, cùm Ioa-
 nem cupido cepisset Martiani viri integerrimi
 visendi, nec tamen ob catenam, quã se ipse
 ad carcerem suum beatum damnaverat, egre-
 di antro posset; eodem tempore Martianus
 ipse inter famulas Cœlitum manus delatus
 adfuit; quo abeunte, cum animo suspicio
 præstigiæ suboriretur, altero miraculo
 ruptæ compedes facultatem dedere specu
 prodeundi, iterùmque Martiano loquendi.
 ad extremum carnis etiam vincula exuit, an-
 no supra quingentesimum, vigesimo secundo.
 Ex Menais.

MEDITATIO.

De Arcta Paradisi via.

I. Alii alios in spatiosa via sequuntur; ideoque
 multi tendunt ad perditionem; Hæc via mini-
 mè devia creditur, quæ teritur, ac celebratur, multi-
 tudine Christianorum. Consuetudini, non Evange-
 lio obeditur. Tu verò cautior esto, ab improborum
 consuetudine deflectens. Christum sequere, qui ve-
 ritas est, nam *in barathrum deducit consuetudo, in cælum*
veritas. Clem. Alex.

¶ Supremo vitæ Articulo non quæretur ex te,
 utrum vixeris ut parentes, ut amici, ut vicini, sed utrum

Christum Iesum, & sanctos imitatus fueris; si versaris in sæculo mandatorum lance tua facta ponderabuntur, si in Monasterio, votorum & Regularum. In præsentia pondera tu ipse actiones tuas. Vide utrum congruant vitæ conditioni; quam elegisti.

3. Tuæ ipsius vitæ rationē diligenter abs te repete, vide an arctam, an spatiosam viam fueris ingressus: Si spatiosam, væ tibi! hâc enim viâ non itur ad vitam; si arctam, spei plenus progredere. Memineris, pullulum esse Electorum gregem, & paucos admodum imitandos esse in cœlum cogitanti. Quantum timeo, ne cum peccatorum turba per viam spatiosam incedas.

S. FRANCISCVS ASSISIAS.

4. Octob.

Stigmata Domini JESU in corpore meo porto. Paul. ad Gal. Cap. 6.

Hic vir, Franciscus est, sanctioris spes altera Romæ, & qui unâ cum altero Atlante Dominico lapsurum orbem firmavit, Mercator adhuc foenus facere etiam apud pauperes scivit, neque unquam pluris vendidit sua, quàm cum gratis dedit. Evocatus in somno ad arma cruce insignita, cum no-

vam

vam militiæ tesseram non agnosceret, ab ipso
 Crucifixo est edoctus. Ducem itaque nudum
 Christum secutus, primam pugnam (uti ferè
 amat fieri in hoc sacro bello) cum patre ha-
 buit. Et vicit avaritiem paternam, cum non
 tantum omnibus bonis, sed etiam vestibus
 se coram antistite exuit illis verbis hostem
 prosternens: *Patrem hætenus te dixeram. Nunc de-
 nique nihil intercedit, quin verius dicam, Pater noster
 qui es in caelis. Quis credat? Sic nudus tum de-
 nique armatum se probè credidit, & scriptis
 sociis orbem expugnavit, si agnoscamus,
 paupertate sua ditavit. Porro animi cando-
 rem in viro, scis Lector, nives probarunt,
 in quas se abiecit, & miratæ puritatem sunt
 undæ, quibus calorem improbum merfit.
 De animi ejus submissione quid dicam, & quo
 Deum ardebat amore? Seraphinis à cælo so-
 ciatus & in sede Angeli, quem superbia in-
 de exturbârat, locandus, ultimum se mor-
 talium, sed inter sceleratos principem dixit.
 Mariæ addictum fuisse, ille non dubitabit,
 qui noverit, quæ gaudia in ejus æde (de Por-
 tiuncula dixerunt) abstulit. Sed frustra sum.
 Herculem ego in hac digitali tabella non pin-
 go. Vin compendiam Lector Viri? Totum
 Christum in Francisco videbis, si vulnera e-
 jus inspicias, *Ex D. Bonav.**

ME-

MEDITATIO

In S. Franciscum.

1. **A**mor divinus omnia combussit vincula, quibus à mundo Franciscus retinebatur, ut eum absolutissimum Dei exemplar efficeret. Hoc amore inflammatus ædibus paternis, voluptatibus, divitiis vale dixit. Hæc abnegatio initium sit conversionis tuæ. Non potes Deo & mundo servire. Ah! nobilius est cor tuum, quàm quod opibus & voluptatibus terrenis adhæreat. Ea deseras omnia, priusquam te deleant.
2. Quo amore à rebus creatis sejungebatur, eodem conjungebatur Deo, atque adeò dicere solitus erat: *Deus meus & omnia?* anime mi? probemus: quam suave sit conjungi Deo. Ad hoc usque tempus in rebus creatis quietem frustra quæsimus: jam sine mora alacriter & constanter ad Deum properemus. Deus meus & omnia.
3. Postremò amor divinus Franciscum in Christum, ut ita loquar, commutavit, quando unus ex Seraphim sacra Iesu Christi stigmata ejus corpori impressit. Non prius tamen hæc gratiâ donatus est Franciscus, quam assidua mortificatione Christum imitatus fuisset. Oportet ut mortificationem Iesu in omnibus corporis tui partibus circumferas: inspicere Christum de Cruce pendentem, & fac secundum illud exemplar prædestinatorum. *Stigmata Christi in corpore suo portant, qui corpus macerant & affligunt.* Hieron.

S. PLA-

S. PLACIDUS Mart.

5. Octob.

Obedite Præpositis vestris, & subjacetis eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Paul. ad Hebr. c. 13.

PLacidi nomen, quod nato impositum est, iterum meruit hic Sanctus, nunquam in vita iratus. S. Benedicto puerulus concreditus est, donatis cum filio XVIII. in Sicilia pagis, in dotem, à Tertullo Placidi patre. Multum hujus innocentia, multum obedientia potuit: jussu S. Benedicti aquam hauriens, in lacum incidit, quem Maurus aquis inambulans, Benedicti imperio sanum extraxit: jussu Placidus ex rupe aquam produxit: oratione & signo Crucis sanitatem pluribus reddidit, sibi durus, edebat vix unquam, cilicio horrebat semper, vinum gustabat nunquam lecto non, nisi sedens, utebatur. Post hæc præludia, in Siciliam ad majora missus, propè Messanam structo à se monasterio, majore utique, quàm olim tiro fulserat, virtute Abbas præfuit. Illuc Româ venire

nere frater & soror ejus, fratrem visuri, di-
vinâ providentiâ, ut unâ Martyres fierent:
nam Manucha, pirata barbarus, exscendens
in littus, monasterium irrupit, Placidumque
à Dei cultu, cum frustra avertere conatus es-
set, foedè cruciatum occidit: eadem sorte
cognati ejus & monachi triginta fidei cecidere
victimæ, quanti alios dum visunt, mortem
inveniunt, rarò, ut hi, Dei Martyres, sæpe
orci hostiæ. *Brev. Rom.*

MEDITATIO.

De triplici ratione obediendi.

1. **U**T Deo, sic superioribus tuis, quicumque sint
obedire debes: acceperunt enim ab ipso Deo,
quam in te habent, auctoritatem. In iis non naturæ,
non industriæ dotes, sed Dominum duntaxat intuere
qui ipsis suggeret, quid præcipere debeant ad tuam sa-
lutem: Non moroso, non querulo; sed alacri, sed
prompto animo semper obediens, si semper respexeris
Deum, hominis ore præcipientem. *Inde est homo, un-
de est imperator antequam homo inde potestas illi; unde &
Spiritus. Tert.*

2. Quàm suavis est obedientia consideranti, certo
certius audire se Deum, dum audit Præpositum. Ad
hæc si fueris verus obediens, eris pauper, castus, hu-
milis, omnibus demum virtutibus præditus, & ad san-
ctitatis apicem breviori, tutiori, & facili viâ perve-
nies. Quid plura? verus obediens rationem non red-
det

det decretorio die: sed hoc unum dicet; Domine,
mandata mei superioris, mandata tua sunt; ea obser-
vavi, jam exolve, quod promifisti.

3. Sit Dominus Iesus obedientiæ tuæ exemplar,
omnibus, & in omnibus factus est obediens usque ad
mortem, mortem autem crucis. Quid queror, Do-
mine Iesu, quid obedientiam detrecto? cùm obe-
dientiâ te videam cruci affixum? *Obedientia est perfecta
abnegatio corporis & animi, mors voluntaria, vita sine solli-
citudine navigatio sine periculo.* Clim.

S. BRUNO Confess.

6. Octobr.

*Quibus dignus non erat mundus: in
solitudinibus errantes, in monti-
bus & speluncis, & in cavernis
terra.* Paul. ad Hebr. c. ii.

Quo tempore D. Bruno Lutetiæ Parisio-
rum ingenium bonis artibus excoluit,
vir è vita excessit princeps inter Literatos,
quique virtutis æstimationem longè maxi-
mam post se reliquit. Sed heu! quantum
aberratis mali iudices hominum oculi! Dum
justa persolvuntur, ad illam canentis vocem
Responde mihi, ecce tibi è capulo se defun-
ctus

Etus tollit, & cum gemitu, iusto, inquit,
 Dei iudicio accusatus sum: mox posttridie,
 iusto, exclamat, Dei iudicio iudicatus sum,
 Demum tertio die tertium è feretro fulmen
 auditur, iusto Dei iudicio condemnatus sum.
 Enim verò plus quàm tragica hæc catastrophe
 omnes movit, At Brunonem eò permovit,
 ut non modò umbram hanc hominis, sed
 ipsos etiam homines fugeret. Atque hinc il-
 la: Sanctissimi viri & omnium, qui Ducem
 hunc sequuntur, frequens in sylvas fuga hinc
 illud in omnibus lugubre silentium, ille pal-
 lidus in vultu color, ut interfuisse tristi spe-
 ctaculo in Brunone omnes posteros credas.
 Sed bene morum candidissimorum Cygni
 homines fugiunt cum superis acturi, bene
 nunc tacent, cantaturi tunc cum flebunt alii
 morituri. Jam ipsa Dei Mater æternam illis
 tutelam adpromisit, si illi, quod diurnum
 Virginis officium dicimus, quotidie persol-
 vant. Pulchra profectò conditio, & quam
 meritò ambiant, tam pulchrè candidati.
 Quid illud? quòd Numen fugam è mundo
 Brunonis Sociorumque VI. totidem S. Hugo-
 ni stellis significavit? Nempe, numerum stel-
 larum augent, quotquot ad Brunonis partes
 accedunt, *Ex Suvio.*

MEDI-

M E D I T A T I O.

In vitam S. Brunonis.

1. **U**T S. Bruno ad mortem pararet sese, aptiorem locum eligere non poterat quam solitudinem ubi mundus saluti nostræ infensissimus planè profligatur; ubi nihil ad peccatum, ad virtutem omnia pellunt. O suavissima solitudo? si noscerent homines, quibus gaudiis perfundas solitariorum animos, profecto desertis urbibus, omnes ad te convolarent. *solitudo solemnis regio Salvatoris.* Tert.

2. Profligato mundo restabat, ut carnem vinceret, quæ, mundo relicto, non relinquitur. Itaque perpetuo cilicio, assiduis propè jejuniis, & aliis austeritatibus, carnem domitam habuit. Mundani? ne tantum vos ametis, ut arbitremini pœnitentiam solis religiosi convenire; vobis magis necessaria est, tum ad plurius peccatorum expiationem, tum ad victoriam majorum tentationum, quibus undique cingimini.

3. Postremo Dæmonem oratione superavit. Majorem partem diei, noctisque in divinis commentandis, ac Dei laudibus concinendis ponebat: præ gaudiis & delitijs, quibus in oratione redundabat, solitudo ei erat paradisus. Fuge in solitudinem, ut mundi laqueis expeditus, his gaudiis potiaris. *Quia vidi contradictionem in civitate, ecce? elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* David.

S. OSI.

S. OSITHA V. M.

7. Octob.

Angeli eorum in caelis semper vident faciem patris. Matth. 18.

Quantum oparentes, educatio praestatur à teneris societis, interest? Ositha Regii sanguinis in Anglia puella in Parthenone non profano, sed sacro educta, quantum splendoris coronæ Anglicæ conciliavit. Et verò jam tunc prodidit coelum quàm curæ illi sit juvenus probè instituta, & majoribus suis morigera, Missa Ositha cum libro transportem, & turbine ab hoc dejecta, undis hausta credebatur. Sed Angelorum praesidio, tertio die prodiit numquam mergenda innocentia. Sub hac in thori societatem à Rege Sigero invitatur. Sed dum rex venatur feras, virgo ut cupidinis retia effugeret, binos Episcopos advocat, & ab his velata in Christi nuptarum numerum transit. Indoluit Rex; sed quòd Deo nollet rivalis esse potestatem fecit è suo thalamo, in Christi, hoc est coenobium, transeundi. In hoc ne regiae sponsæ purpura decesset, ferro à Danis pro fide cæditur. Me-

mora-

moratur verò funus suis non alienis pedibus ambulasse, & caput abscissum ad usque templum extulisse, atque ibi demum, cum manibus templi januam pulsasset, placidè procubuisse. Fuit etiam qui morbo ad extrema deductus OSITHAM in vota vocavit, vovitque ne moreretur, in Religioso cœtu se victurum. Convaluit: sed sotheria solvere oblitus vindicem morbum secundum sensit, nec prius manum iterum OSITHÆ medicam, quàm objurgatus ab hac fidem liberaturum se ipopondit. Itaque bis voti damnatus templo & cœnobio anathema se dedit. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De S. Ositha.

1. **S.** Ositha undis hausta credebatur, sed Angeli Custodis præsidio prodiit tertio post die incolomis. O homo, quid Angelo tuo custodi non debes; & quam parùm persolvis? nondum natus eras, & jam stipavit te. Infantem in sinu fovit. Puerum manu duxit. Virum te quoties ab insidiis protexit, & a malo liberavit, nec in agone ultimo, nec in tremendo iudicio te deferturus, si tu non deferas. *Ergo noli custodis tui benevolentiam spernere, parvi pendere ministerium, Suffragium abjicere, & ignorare consilium.* Laurent. iust.

2. S. Ositha abscissum caput ad usque templum extulit. Quæ tibi integro & sano corpore templi adeundi cura? quantum curris pro modica præbenda, vel pro
offi.

officio vel pro favore & gratia magnatum, & Deum
 in throno gratiæ expectantem te quotidie tam raro
 visitas? quia domus mea deserta est, & vos festinasti unum
 quicumque in domum suam, propter hoc super vos prohibiti sunt
 cæli ne darent rorem, & terra prohibita est ne daret germen.
 Aggæi I. Cap. v. 10.

3. Convaluit, qui S. Ositham in vota vocavit, sed
 voti exsolvendi oblitus vindicem morbum secundum
 sensit. Vide ne promissum tuum irritum facias, neque
 dei tua vota dirumpas. Habebis profecto accusatores prave-
 ricationis tue. S. Laurent. Iustinianus.

S. PELAGIA Poenit.

8. Octob.

*Fidelis sermo : nam si commortui
 sumus, & convivemus.* Paul. 2.
 ad Tim. C. 2.

Vixit Pelagia Alexandria sub Theodosii
 minoris tempora, ob formæ venustatem
 corporisq; cultum non jam Veneris serva,
 sed ipsa Venus habita, pudor urbis & castitatis
 ipsissima perniciēs. Quis credat? quæ oculis
 captivam, post se urbem trahebat, in hanc
 obtutum defixisse D. Nonno Antistiti etiam
 profuit. Quid enim? (exclamabat post visum
 hoc elegantiae idolum ille) quo demum stu-
 dio

dio, quo sive temporis, sive sumptuum dis-
 pendio hæc faciem comit pingitque? & hoc
 cur? quò nempe oculis amantium arrideat,
 cælo lacrymante Animæ interim meæ, quam
 ausim dicere, Deus deperit, quis splendor?
 nempe ad hanc infamiam collata, Æthiopissa
 es Anima. Ite & sordes meas eheu! lacrymæ
 lavate. Hæc Nonnus. At pelagia, spectante &
 mirante urbe, ad pedes ejus descendit, & vitæ
 licentiam sancto fletu gemituque teste ejurat.
 Mox jejuniis & vigiliis corpus defluere, vul-
 tum non jam Gratia, sed pallor, squalor,
 maciesque insidere, nihil jam in tota fronte
 tubere, præter præteritorum memoriam.
 Nempe obstrepere hic Veneris Puer desertum
 se fide non bona queri: formam se, opes, a-
 mores, dedisse, ipsam probra, contemptum,
 odiumque ingratis reponere. Sed virum sci-
 licet invenit. Nam sparso omni in egenos auro,
 laqueos amantium, capillos rescidit, fæmi-
 nam cum veste exiit, Pelagium se dixit, vitæ
 que reliquum Hierosolymis inter summas vi-
 tæ asperitates egit, in illo monte, qui ab oli-
 vetis nomen habet, ab ipso Christo dudum
 edocta, ad cælum illuc ascendi.

Ex Surio.

Q 2

MEDI-

M E D I T A T I O.

De Mortificatione.

1. **D**Ebes non ex consilio tantum, sed etiam ex præcepto, à te remove quidquid allicit ad mortale peccatum. Nisi declines periculum, peribis in eo. *Si oculus tuus dexter, inquit Christus, scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Hoc est contemne, fuge, quod tibi carissimum est, si peccandi præbeat occasionem: an id agis?

2. Quantum potes, abstine licitis voluptatibus: quò magis terrenis gaudiis carebis, eò cœlestibus afflues magis: qui licitis abstinet, non patrat illicita. Momentanea tribulatione longum purgatorii tempus minuitur. Quid tantum me amo, ut nihil pati velim imposterum ero persecutor & martyr, Sacerdos & victima ero. *Persecutoris partes exequamur, & martirum.* Bonavent.

3. Quanquam hoc unum haberet mortificatio, ut similem me efficeret Iesu patienti, nunquid eam amplecti deberem? O! utilis mortificatio, quæ refricat, memoriam passionis Christi: *Anime mi? ubi est amor tuus in Iesum? si verè Iesum amas, esto Iesu similis: si compateris, & conregnabis. Si verò crucem, & humilitatem fugis, frustra speras gaudium & gloriam paradisi. Ah! Domine, qui tantum me amasti, Non possum esse sine vulnere, quando te video vulneratum.* Bonavent.

S. DIO.

S. DIONYSIVS AREO.
PAGITA.

9. Octob.

*Sapientia hujus mundi, stultitia est
apud Deum. Paul. 1. ad Cor. C. 4.*

Is est Dionysius, cui nomen Areopagus fecit, vir inter Athenienses eximie doctus & siderum contemplationi addictus. Quare eo tempore, quo omnis natura morientem Christum lugebat, exclamasse fertur, *aut Deum laborare, aut mundum ruinam meditari.* A Paulo deinde Christo additus, praesse novitio Christianorum gregi Athenis iussus est. Ajunt cum Apostolis abeunti in caelis virgini adfuisse, Certè eam vidisse, aspectuque tam augusto attonitus ingenuè scribitur affirmasse, pro Deo hanc habiturum se fuisse, ni fides Dei matrem esse suggestisset. Paulo etiam commori cupidus Romam advolavit. Sed praeventit Neronis crudelitas, qui spem tantam in Paulo prius decollavit, Galliam ergo cum iussu Clementis Pont. adisset annos numerans X. supra C. vincula primo tulit; tum verbera; utraque Christianâ fortitudine. Exinde ferro, cui flammæ subjectæ erant, lectulo incubuit

Q 3

buit

buit; sed suaviora nunquam somnia de caelo quam tunc vidit. Ita semiustulatus feris obiectus est, sed has etiam virtus demulsit. Iterum in flammis missus, aurum exivit, Post in crucem actus, cruce scilicet gravius habuit deponi à cruce. Ad extremum cum sacrificantem in carcere Christus spectabilis animasset, non minus mortis D. Pauli, quam vitæ æmulus gladio occubuit. Illud memoratu dignum, quòd abscissim caput inter Angelorum accipientium comitatus, suis ipse manibus passus bis mille ad destinatum tumultum portaverit, novo miraculo & funus idē & funeris ductor.

Ex hild. & opere Marian. Canis.

M E D I T A T I O.

De Prudentia.

1. **A**sferit S. Iacobus in Epistola sua, mundi sapientiam vel terrenam esse vel animale; vel diabolicam. Diabolica cadit in ambitiosos; terrena in avaros; animalis in voluptuarios. Quænam est tua prudentia? nonne verum est, totum te esse in quærendis honoribus, divitiis voluptatibus? nonne ea sunt idola tua? *illis ingenium tuum immolas, illis sudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis.* Tertull.

2. Sapientia quæ de sursum est, hæc tria fastidit bona; fastidit divitias, cum Christus dixerit: *Beati pauperes, va divitibus?* fluxis abstinet voluptatibus, ut potetur æternis. Amat nesciri, & ab hominibus pro nihilo

reputari, dum probetur Deo. Quid plura? omnium detrimentum facit, ut animam lucretur: at sæcularis Sapia. Imprimis habet hoc malum, quod dum ingeris transitoria, abscondit aeterna. Euseb. Emif.

3. Ut agas in omnibus ex veræ prudentiæ præscripto, semper respice finem. Eundum tibi est ad cælos: en? primum consiliorum tuorum; illuc si pertingas, felix eris, sin minus, infelix. Quid agis ut cælum teneas? salus animæ magnum & unicum esse debet Christiani negotium, cum ad hoc unum creatus sit. Porro unum est necessarium. Christus!

S. FRANCISCUS BORGIA.

10. Octob.

Qui utuntur mundo tanquam non utantur; præterit enim figura hujus mundi. Paul. 1. ad Cor. 7.

NON prius FRANCISCVS Patrem aut Matrem quàm IESUM & MARIAM balbutiens salutavit. Puer vel facientem vel dicentem Sacerdotem æmulatus est. Juvenis gynæceum non nisi cilicio armatus adiit, reputans se toties hosti loqui, quoties foemina. Jam Gandiæ Dux & Catalauniæ Prorex, per vetustum familiæ morem annum patronum for-

Q 4

tiendi

tiendi in menstruum vertit, eumque in So-
 cietatem postea & Marianos coetus invexit; ip-
 se tunc Patroni die pauperes mensæ suæ mi-
 nister adhibuit. At verò cum illud formæ mi-
 raculum (Isabellam Augustam) in Sandapila
 attentius considerasset, honorum titulos ut
 certissima mortis spolia ultrò abiecit, & in
 Societatem Jesu (cui universæ deinde præfuit)
 se abdidit, dicere adhinc solitus, tum vivere
 se coepisse, cum desiisset Isabella. Corpus tam-
 durè habuit, ut duplicari jam & indumenta &
 cutis possent. Ad purpuram non semel obla-
 tam tam erubuit, ut alii ad hujus repulsam so-
 lent. **MARIÆ**, quam D. Lucas depinxit, effi-
 giem primus Æri incisam spargi per omnem
 orbem curavit. Hanc cum aspiciebat, mihi,
 aiebat, Virgo hoc onus gestat, mihi lac matris,
 mihi filii bullit sanguis. In vitam suam inqui-
 sivit horis singulis, reum ad Sacerdotis pedes
 bis quotidie se egit, quin neque voce neque
 literis alium se quàm Franciscum peccatorem
 prætulit. Sed talem peccatorem Anno M. DC.
 XXIV. Urbanus VIII. Beatum & Clemens X.
 Anno M. DC. LXXI. Sanctum dixit.

Ex vita.

MEDI-

M E D I T A T I O.

In tres virtutes S. Francisci Borgia.

1. **I**N omnibus dignitatibus magnam præ se tulit humilitatem. Mundum despexit, ubi sensit, in eo nihil stabile esse: Hoc sancto inferior es & virtute & dignitate. Considera quòd *præterit figura hujus mundi.* Rumpe vincula, quibus illigaris vanitatibus sæculi, ut moriens habeas nihil, quod ægrè relinquant. *Stemus expeditè ad omnem vim, nihil habentes, quod ægrè relinquamus.*

2. In mediis mundi delitiis durius vitæ genus agebat: Induebat cilicium, si quando fæminas principes adire cogeretur: durissimum jejunium servavit; hæ tamen austeritates nihil planè erant ad eas, quibus suum corpus maceravit, postquam nomen dedit societati Iesu, Num hic sanctus tuam damnabit mollitiem? non. li causari pravos habitus: nullus quippe habitus est, qui mutari non possit.

3. In mediis negotiis pietati & orationi sedulam dabat operam. Ambulabat semper coram Deo, & quolibet mense patronum inter sanctos seligebat, quem pium patronorum eligendi morem in Societatem Iesu induxit. Ubi, quæso, tua pietas, num verum est, vitam tuam sic præterlabi, vix ut Deus particulam ejus accipiat. *Fuisti infantes, deinde pueri, deinde puberes, deinde viri, boni autem nunquam.* Clem. Alex.

Q 5

S. JA.

S. JACOBUS Confessor

11. Octob.

*Nolite ergo solliciti esse in crastinum:
crastinus enim dies sollicitus erit
sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua.*
Christus Matth. c. 6.

Felix, (si quidem norit hodie bona sua) Ul-
ma Suevorum Iacobum nostrum peperit
& probè edueatum Romam ad DD. Aposto-
lorum limina supplicem misit. Româ Nea-
polim hic abiit, & ab Alphonso rege militia
adscriptus nullum hostem quàm prædam fu-
git. Quare illa demum castra placuere, que
non aliena raperent, sed suis se spoliarent, id
quod ipse etiam fecit, cum Bononiæ ad D. Do-
minici signa transiit. Hic ille boni militis par-
tes omnes implere, primus semper ad ducis
nutum; portarum animi, oculorum inquam
vigilantissimus custos, & flammæ hostiles ca-
sto animo injectas suffocare illicò doctus san-
guinis recordatione à Christo fusi. Jam arma
(preces) nunquam posuit, primo mane om-
nes Divorum aras veluti stationes militares
obiens, & semper à castrorum Acie Virgine
auspiciū sumens, Quid jam mirum, si mi-
les

les noster daemones fustibus pugnantes risit, praesertim quando cum pugnante Angeli visi pugnare? si Cyclopem infernum sibi infestum cruce prostravit & eadem corvorum Stygiorum agmen fugavit? Quid? quod & insidias structas Republicae ab orco detexit. Ad D. enim Antonii tumulum cum latentes daemones spectasset & triumphum adornantes ob futuram altero die inter cives caedem, medius preces suas interposuit & civibus pacem, orco pro triumpho luctum peperit. Fuit cum ad hortos Elysiavolans ea oculorum spectacula habuit auriumque illecebras, ut irasceretur illis, qui eum avocarunt. Ne igitur quisquam molestiam revocando faceret, morte illuc non rediturus abiit. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De die Christiano bene transigendo.

1. **M**emento Diem Christianum aperiri matutinâ oratione, & claudi serotino examine conscientiae. Adesto quotidie sacro Missae sacrificio: librum pium, saltem per breve tempus attentè lege: noli omittere solita pietatis officia erga Mariam. Quâ ratione labuntur dies tui? ubi sub noctem deprehenderis, nullam te per diem lineam duxisse Dei causâ, tunc gemens ac dolens dic? Heu? diem perdidi quo poteram fieri sanctus, & aeternam comparare felicitatem.

2. Cum

2. Cum surgis, hoc apud te cogitare debes, forsan hodiernus dies ultimus erit vitæ meæ! si scires, te hodiè moriturum esse, quid ageres? Cùm ad aliquid aggrederis elevato animo, dicito: tibi Domine laborare, & pati volo, Domine? gratiam impertire, ut perficiam opus, quod suscipio, nec illud peccato contamina. *Tuum sit igitur totum id, quod vivo, totus me totum tibi offero.* Aug.

3. In Examine Serotino, hæc tria quotidie reputa: 1. quid boni? 2. quid mali feceris? 3. quò fugerint voluptates? quò honores? Ah! quantum gauderes, si aliquid Dei causâ passus esses. Hoc demum meditare, cum jamjam somnum capturus es: æternus forsan erit somnus meus, & in quo jaceo linteo, in eodem mortuus involvar. Ita est, aderit illa dies, cùm *subter te sternetur tinea,* &c. Isai.

S. MAXIMILIANUS
EPISCOPVS.

12. Octob.

*Labora sicut bonus miles Christi
Jesu, nemo militans Deo, im-
plicat se negotiis secularibus.*

Paul. 2. ad Tim. c. 2.

MAximilianum, quo Cive Pannonia,
Austria Patrono gloriatur parentes no-
biles

biles Celciæ genuerunt, lactarunt Gratia,
 Musæ eduxerunt. Talis inquam Maximilia-
 nus dignus Cœlo visus est, quem in suas par-
 tes pertraheret; & verò facilè illè obsecun-
 dans meliora suadenti, hæreditatem suam
 (quæ opulenta ei erat) ultrò egenis cessit, di-
 vitem se ratus, si centuplo amplius liceret spe-
 rare. Jam honoris etiam umbram cum fuge-
 ret, insecuta tamen hæc virtutem, Laureaci
 Mitrà sibi devinxit & in solium renuentem
 extulit. Hoc deinde cum furia Decianæ de-
 turbassent, Romam abiit, mox tamen Xysto
 II. Pont. Max. auctore rediit, & viginti ipsos
 annos muneri suo cum summa laude est fun-
 ctus. Sub hæc in mentem venit, patriis etiam
 terris operam suam locare. Et fortè Evilasius
 illic prætor Christianam pietatem oppugna-
 tum ibat. Tantò amplius festinandum sibi ra-
 tus illicò advolavit & suppetias laborantibus
 in tempore tulit. Sed dum in prima fronte a-
 criùs pugnat inter primos gladio cadit. Post
 hanc tamen tam nobilem hostiam propitia
 victoria semper postea cum Christianis stetit.
 Diceres suum etiam Pannoniæ Decium obti-
 gisse. *Ex Eusebio.*

MEDI.

M E D I T A T I O.

De vero Christi Milite.

1. **U**T sis verus Christi miles, dæmoni fortiter resiste, ut pote, qui sit capitalis hostis ducis tui, fractis ejus consiliis, aperto Marte præliare adversus eum, & adversus eos, qui partes ejus suscipiunt. Heu! forte dæmoni faves, nedum adversaris; illi morem geris, cum voluptati & honori servis.

2. Si vis Jesu Christi vestigiis insistere, non repugnantem, non querulo, sed æquo animo patiaris omnes, & ab omnibus illatas injurias, puta dictoria, detractiones, persecutiones: in hoc prælio vincit, qui vincitur; contemptus tam impatiens es, ut verbum in te vel imprudenter prolatum acriori responso statim ulciscaris. Ah! si Jesum amares, eum imitareris ad mortem usque patientem. *Si amarent crucem, vitam crucifixam agerent.* Chrysoft.

3. Vince te ipsum; id genus victoriae ut difficillimæ, ita Deo gratissimæ, tibi verò utilissimæ est. Vince te ipsum in minimis, juxta ac in magnis; non difficillimè multis careres commodis, quæ nimio tui amore queritas. *Abdicare à te ipso, ne abdiceris à Christo: repudiare, ut recipiaris à Christo: perde te, ne ipse pereas.* Salvian.

S. COLMANNUS Martyr.

13. Octob.

Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Christus Matth. c. 5.

Colomannum Regii sanguinis Juvenem
 & Juventæ ævo suo facile principem ge-
 nuit & educavit Scotia, hospitem Bojaria vi-
 dit & Austria. Habuit tamen hæc hostiliter
 potius, quàm hospitaliter, Etenim quòd ge-
 nus & virtutem, sub peregrino dissimulasset
 jussisque valere & patriâ & opibus patriæ, sa-
 cram Ierosolymæ urbem in votis haberet, diu
 jam dæmoni malo ægrè faciebat. Hic igitur
 contra ægrè Colmanno facturus id machina-
 tur, ut innocentia sub proditoris nomine ac-
 cusetur. Capitur, carceri datur, torquetur,
 uritur, laceratur, damnatur & ex arida arbore
 ipse flos luventutis suspenditur. Hic demum
 pro innocente crebra miracula perorant. Et
 integritatem animi sesquiannum subdio pen-
 dens integrum corpusculum loquitur. Me-
 ruisse canos crescentes capilli & ungues te-
 stantur: clamat sanguis è vulnere nunquam
 non recens: ipsa, quam emortuam diximus,
 arbor in frondes suas reviviscens non debuisse
 mori Colmannum ait. Tot testibus tandem
 convicta Austria vertit sententiam, absolvit
 Colmannum & se damnavit. Sed & hic tot
 honoribus post, quot suppliciis ante maeta-
 tus. Austriam jam absolvit. Ex Ditmare. Stabio
 & VV. Lazio.

MEDI.

MEDITATIO.

De Obtrectatione.

1. **D**EUS tantum odit peccatores, ut gehennam minetur ei, qui fratri maledixit. Cave tibi ab illo peccato, quod tam late patet, & tam facile admittitur, verbo siquidem, gestu, accentu vocis, proximi fama, quam nihil homini carius est, si divinam gratiam exceperis, extinguipotest. Facile est, aliorum famam maculis aspergere, at difficile, easdem maculas eluere. *Magis vitam ordinare disce, quam alienam carpere.* Hier.

2. Is obtrectat, qui falsum crimen de aliis narrat, quod calumnia est; vel qui absconditum vulgat, quod iustitiae & charitati repugnat: vel, qui tum crimen auget, tum laudes minuit; vel denique, qui recte factorum causam & intentionem arguit. Vide, an id agas; vide, an velles, ut de te alii loquerentur, ut tu quandoque de iis loqueris?

3. Injunge aliquid poenitentiae nomine, quoties verbis proximum tuum laesisti, & quam primum sanam inflatum vulnus. Si te carpant alii, testis Deus & nihil sibi conscius animus te consolentur. Quid irasceris? Christus calumniatores habuit. Si te praesente de alterius fama detrahatur, ne detractorem audias: solerti quaedam prudentiam sermonem aliò averte, imò abrumpe si per auctoritatem possis. *Vbi desunt Audientes, non inveniuntur detrahentes.* Hier.

S. Bur.

S. BURCHARDUS Episc.

14. Octob.

Eratis sicut oves errantes; sed conversi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum.

1. P. Pet. 2.

In felix nunc Anglia, heu! minimè sancta, quam tot olim deseruere sancti, ut alios bearent. Hos inter & Burchardus, magnis natus parentibus, ne velut adamas, cognato sanguine molliretur, patriam exilio mutavit, ultro profugus in Galliam, inde alias terras, splendidam virtutem vili penula tegens, perambulabat. Radices jam egerat in alieno solo, transplantatus in Germaniam, & ipse Anglus, Bonifacius Moguntiae praelul: Huic Comes Burchardus, jam Sacerdos, Romam cum venisset, ibidem in Episcopum consecratus, & in Franconia primus Herbipolitanae pastor cathedrae ab ipso Bonifacio impositus, XL. annis praecleara autoritate & virtutis aestimatione praesedit. Quam verò omnis pompae contemptor fuerit, Episcopale pedum (in antiquae simplicitatis testimonium, ad tumulum eius etiamnum superstes) satis ostendit, quod non

R.

auro

Bur.

auro & gemmis emicat, sed totum quantum ex sambuco est, quali nec opiliones apud gregem superbirent. Sed & infulæ demum onus Burchardus in Meningardum transtulit, ipse in Hohenburg castello cœlestium contemplatione ad cœlum expedivit iter, quod Anno Christi DCCXCI, confecit sancta morte, Anglus deinceps inter Anglos habitaturus. *Martyrol. Canisii.*

MEDITATIO.

*De bonis Pastoribus animarum
& ovibus.*

1. **E**st nobis pastor bonus, & Princeps Pastorum Iesus Christus; sed, an nos oves ejus sumus sequentes vestigia in obedientia simplici, auscultantes voci ejus, & non dictaminibus sæculi? an sine murmure non aperientes os suum contra pastorem, si per aspera præit, & ducit. An sine dente non mordentes invicem & comedentes nos ut consumamur ab invicem. *In hoc cognoscet omnis quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Joan. 13.*
2. Misit Deus alios quoque pastores suos administratos & dispensatores præpositos animarum nostrarum. An tu facis quod ovium est, debitum amorem & obedientiam exhibes. *Qui bene præsunt presbyteri duplici, honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina, pr. Tim, 10, Si autem discoli sunt, cogita*

ta monitum Christi, quaeunque dixerint vobis, facite secundum opera autem illorum nolite facere.

3 Si Pastorem te constituit Dominus super gregem suum, an cognoscis oves tuas, ut dirigas in viam bonam, ut nutrias verbo doctrinae, ut reducas errantes, ut confortes & debiles, & sanes infirmas. Dominus super pastores suos requirit gregem suum de manu eorum & va pastoribus qui pascunt semetipsos. Ezech. 34.

S. THERESIA Virg.

15. Octob.

Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Paul. ad Cor. c. 12.

Quid, heu! quid cum praetextatis verbis tibi praetextata malè turba? discite, ea infantia tectè vel ab infante Theresia fari. In aeternum! in aeternum! ah quoties balbutiens clamitavit, nos scilicet, puerilem senectam, non senem aeternitatem in animo & linguâ gerimus, disertissimi infantes. At Theresia parvula cum parvulo fratre domo paternâ aufugit, ad Mauros abitura & brevi mortè longam aeternitatem auspiciat. Vivere tamen Deus illam, & ut viveret, quæ ferè mors est liberorum, mori matrem voluit. Illa ma-

R 2

irent

rem Vicariam cœlo Mariam advocavit, nati-
 quam ab hinc orba futura. Maria porro filie
 suæ Sponsum filium conciliavit, quando ex
 Sanctioribus Amoribus Seraphinus Ales cor
 Theresæ terebravit. Ipse Amor hominum
 Christus, quo certiùs illam fauciaret, sua vul-
 nera diiectæ impressit, occulta tamen, ut ferè
 solet Amor. Adfuit deinde sæpè Sponsæ,
 nunc cruce pro more chlamydatum, nunc spi-
 neâ, quæ illum maximè decet, corolla orna-
 tus, nunc qualis mortem triumphavit, con-
 spiciuus. Arrha ab eodem datæ gemmæ qua-
 ternæ & pendulæ è Rosario Cruci abditæ.
 Dos verò omne cœlum: cuius opes cum
 quandoque Theresæ Christus, ostentasset,
videns, agebat, (tute tibi Lector dictum puta)
quantis se bonis peccatores spoliens? Sed & veste nu-
 ptiali cum Ordinem, quem Carmelitarum
 dicimus, restauraret, Virgo Mater & Virgi-
 nis Sponsus Iosephus cœlo allatâ exornarunt,
 ut nihil jam ad nuptias deesset, nisi quæ facem
 præfertet, Anno M. D. LXXXII. Mors beata.

Ex vita.

M E D I T A T I O.

De S. Theresia.

- I. **C**Um unus è Seraphim ignito jaculo sanctæ The-
 resiepectus vulnerasset, continuo spretis aliis
 qui-

quibusq; , tota ad divinam gloriam & animarū salu-
tem incubuit, adeò, ut diceret identidem: (libenter
purgatoriis ignibus ad extremum iudicii diem crema-
rer, si vel unum peccatorem ad sanitatem revocare
possem) Domine, tua in me collata beneficia ignita
sunt amoris tui jacula: unde non ignescit cor meum?
ah Domine? *jubes te diligere, da, quod jubes, & jube, quod
vis.* Aug.

2. Aut PATI, aut MORI: ex illo S. Theresiæ
symbolo duplex effectus amoris arguitur. Vult pati
Theresia, ut sit similis Christo, qui tot ac tanta passus
est, ideò laborem, ideò crucem quærit; tu vero ea
omnia fugis: vult vivere, ut patiat; vis vivere ut ob-
lecteris. Muta consilium: habe deinceps egregium il-
lud symbolum: *Aut pati aut mori.*

3. Sancta Theresia vult mori, cum patiendi non e-
rit locus, tunc cupit dissolvi, & esse cum sponso suo:
cupisne dissolvi? minimè quidem; sed mortem times
tanquam finem bonorum, & malorum principium,
quia scilicet mundanis gaudiis nimium indulisti. Hor-
rendum Dei iudicium; non mortem time: Judex pla-
cari potest, mors non item. *Nemo timeat quod evadere
non potest.* Tert.

S. GALLVS Abbas.

16. Orob.

*Quia tepidus es, & nec frigidus, nec
calidus, incipiam te evomere ex
ore meo.* Apoc. 3.

GAllus ad Laci Brigantini incolas Colum-
 bano Duce venit, quem in literis & pie-
 tate magistrum habuit. Hic permultis auctor
 fuit, damnatâ superstitione, ad Christi partes
 transeundi: ipse antra sylvâsque à colubris &
 lemuribus purgatas melior hospes cœpit in-
 colere, com meatum sæpius cœlo suppeditan-
 te. Et fortè preces Numini faciebat, cùm ur-
 sus adfuit pauperis cœnæ reliquias populaturus.
 Sed jubet Gallus lignum potiùs fur com-
 portet, eoque focum foveat. Facit ille im-
 perata, & in laboris stipendium panem capit.
 Tum Divus cum eodem ita paciscitur, com-
 munem uterque montem haberent, cæterum
 nemini deinceps mortalium ursus noceret.
 Has inquam leges homo tulit, & sacrosanctas
 fera habuit. Vidit hoc & invidit orcus, omni-
 que vi pellere Gallum est aggressus. Sed faci-
 le hic iterum in fugam versi pellem hostem e-
 git, victor trophæum Crucis erexit, & præsi-
 dium sacra Divorum lipsana imposuit. Quin
 longiùs etiam hostem persecutus pepulit è fi-
 lia Ducis Gunzonis, quam infederat, Gallia-
 rum tum Regis sed Christi postea sponsâ. Et
 poterat in præmium accipere infulam Con-
 stantiensem, nisi hanc quam tanti alii faciunt:
 nihili ille fecisset, itaque ad majora præmia &
 Gallo

Gallo digna coelum evocavit. Ejus funus, equi ferocissimi sponte ad sepulturae locum duxerunt: usq; adeo nihil ferum in orbe est, quod virtus non domet. Ex Valfrido, Strabone apud Suetonium.

M E D I T A T I O.

De tepore spirituali.

1. **T**epidus dicitur, qui nec frigidus, nec calidus est; qui quidem inferni metu abstinet à peccato mortali, at veniale parum curat: qui negligenter fungitur suo officio, qui ait: sufficit mihi, stare ad limen paradisi; is denique, qui ea duntaxat facit, quæ sine peccato mortali omittere non potest. Nonne te expressi? quantus est fervor tuus in divino obsequio? an sedulo declinas levia quæq; peccata?

2. Tepidus Deo nauseam affert, Deus vellet quidem, ut calidus, aut frigidus esset, sed, quia tepidus est, incipiet eum evomere ex ore suo. Deus facilius aperti inimici, quam victi inimici, quam ficti amici patitur injurias; nec amat hominem, qui cum piis operibus vacare posset, non vacat, neque concessis affatim gratiis utitur. Audi, quæ dicat Ambrosius de tepido *Qui calorem fidei non habet, tolerabilius ei fuerat, fidem non accepisse quam neglexisse.*

3. Tu qui tepidus es, vel aliquando fervidus fuisti, vel semper tepidus; si fuisti fervidus, fatearis oportet, jucundius esse, cor suum Deo penitus devovere, quam illud Deum inter & mundum partiri; qui enim cor suum sic dividit; caret cœlestibus solatiis, & inferni metu

metu, terrenis frui non potest. Si vero semper tepidus fuisti. Ah? precor experire fervoris suavitatem, gustata & vide, quàm suave sit, te totum Jesu consecrare. August.

S. ANDREAS CRETENSIS.

17. Octob.

Omnes honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate. Pet. I. Ep c. 3.

BEllo, quod sacris Dei divorumque imaginibus barbarus Copronymi furor indixerat, multum virtus Andreae enituit, quippe qui sub eius statim initia è Creta Constantinopolim advolavit, linguâ & pectore propugnaturus pietatem. Et nimirum (clamabat ille in publico virtutis theatro) Majores nostros, qui pulchram pro patria mortem oppetierunt, stantes in saxo, in ære, in auro suspicimus; at verò qui pulchrius pro Cælo sunt mortui, nullo honore dignabimur? Tibi homini, Copronyme, aureas poni statuas & surgere cælo Colossos spectabimus, neque impune hos quisquam nostrum jam violabit? tu verò
Cæli

Coeli Imperatoris imagines, tu Imperatoris
 Matris Magnæ, tu amicorum hujus gratis e-
 versum ibis? quin etiam improbe illam ex
 animo tuo imaginem deles, quam suâ manu,
 cum te finxit, Numen depinxit? Sed quid
 ajo, dudum hanc orcus deformavit, & suis te
 coloribus pinxit. Hoc unum audi, aut fallor
 ego (imò non fallor) aut, si Terræ filius bel-
 lum porrò cœlis movere pergis, si sedibus
 suis Superos deturbare laboras, fulmen etiam
 tu senties. Erat hoc furiosum lacescere, itaque
 flagra, taureas inclamat Tyrannus. His lace-
 rum in vincula, inde inter lapidum imbres ad
 infamem mortem raptari jubet. Sed ecce ad-
 est, qui ex itinere, amputato altero pede, di-
 vum cœlo transmittit; profuitque ad com-
 pendium viæ pedem abjecisse, *ex Surio & Menais.*

MEDITATIO.

De triplici imaginum genere.

1. **C**olere debes tibi præpositos & alios, quoscun-
 que cultui divino consecratos tanquam imagi-
 nes Jesu Christi; observat Deus, quidquid benè vel
 secùs adversùs eos feceris. Si quid benè præmium, si
 quid malè, supplicium dabit. Quo honore habes tuos
 Prælatos? quomodo ipsis obtemperas? ne confide-
 res in eis dotes, aut vitia; sed sufficiat tibi, eos esse
 Dei Vicarios.

R §

2. Hono-

2. Honora Reges, Principes, Judices, Magistratus, omnes deniq; qui legitimã in te habent auctoritatem; quoniam hæc auctoritas à Deo est. Eos Deo commenda; plurimùm laborant illi, ut leges vigeant, utque populi pace & ubertate fruantur. Quam ob rem illis debes fidem, honorem, obsequium. Christus ipse obedivit hominibus; an es Christo major? *Erubescet superbe cinis Deus se subdit hominibus, tu dominari gestiens, tuos te preponis auctori.* Bern.

3. In sacris ac privatis ædibus sanctos venerare, ut pote, qui absolutissima sint exemplaria Jesu Christi: habe coram imagines. Sed præcipuo cultu honora sanctum, cujus nomen habes; Ad hæc elige tibi patronum, quem singulariter colas, in voceque confidenter omnibus in necessitatibus Exemplo sanctorum exue veterem hominem, ut novum induas. *Abiecit huius sæculi figurã, formam tuam, in formam tui reduc Salvatoris.* Chrylost.

S. LUCAS Evangelista.

18. Octobr.

*Non vos me elegistis: sed ego elegi vos,
& posui vos, ut eatis, & fructum
afferatis.* Christus Ioan. c. 16.

Lucam nobis Antiochia Syriæ peperit, educasse verò ipsæ in sinu Musæ videntur. Nam literis & Ægyptiis & Græcis omnibus

excult-

excultus, arte in super medica clarissimus ha-
 bitus est. Sed nihil hæc omnia ad illa, quæ in
 Christi schola grandis discipulus didicit, sui
 Deiq; agnitionem. Fertur etiam socius Cleo-
 phæ fuisse in Emaus eunti, tunc cum ambobus
 a morte Christus se comitem junxit, hospesq;
 non a symbolus mensæ accubuit. Post hujus
 verò, quem in cœlos duxit, triumphum, ubi
 in Orbis partitionem cum cæteris Apostolis
 venit, fidus Magno Paulo in omni itinere,
 quin adeò in vinculis Achates, Christi primò
 vitam mortemque, tum quæ Apostoli alii for-
 titer fecerunt, perscripsit. Abiit è vivis cum
 annum ageret quartum supra centesimum, &
 tunc etiam memor Medicum se esse, agris vel
 è tumulo medicinam, oleum salutiferum pro-
 pinavit. Illud penè memoriam fugisset. Pri-
 mus fuit Lucas qui Mariam felici manu depin-
 xerit, in ea tabella, quæ etiam hodie miraculis
 lucet, dignus profectò, cujus penicillum Ma-
 riani omnes imitentur, idem in animis facien-
 do, quod Lucas in tabella fecit. *Ex tom. 1. Baronii.*

MEDITATIO.

De S. Luca.

1. **L**ucas scripsit, & prædicavit Evangelium, quod
 legere, docere, & ad usum revocare debes. Is
 liber est omnium pulcherrimus; & qui unam libri hu-
 jus

ius sententiam intellexerit, accendetur desiderio, sanctitatis. si minus verbo, exemplo certè Evangelium doce, nimirum abnegatione, mundi contemptu, amore Dei; quæ omnia Christus præcepit in Evangelio. An probas obedire te præcipuis Evangelii præceptis? Hanc quotidie meditare sententiam. *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur.*

2. Hic sanctus fuit Comes & adjutor S. Pauli in Evangelii ministerio. Quinam sunt comites tui? anii, quorum exemplis accendaris ad virtutem? ô te felicem? si sodalem nactus esses similem S. Pauli, nam brevi tempore æquares D. Lucæ sanctitatem. Fuge nefarios cœtus. Ne dubites, quam habes cum malis amicitiam, dissolvere. *Melius est habere malorum odium, quàm consortium* Isid.

3. S. Lucas primus omnium Mariam pinxit. Vis egregium illud exemplar exprimere? Exemplo S. Lucæ imitare puritatem, humilitatem, & pietatem Mariæ. Vult enim B. Virgo, ut his coloribus cum suam tum filii sui imaginem in corde tuo depingas. *Deus factorem signorum suorum querit, non pictorem.* Aug.

S. PETRVS ab Alcantara.

19. Octob.

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.
Christus Luc. 9.

Hic est, qui Ordinem S. Francisci per Hi-
 spanias ad primum rigorem, exemplo ri-
 gidiſſimæ vitæ ſuæ reduxit. Hic est, de quo S.
 Theresiæ revelatum, nil, ejus nomine postu-
 latum, à Deo denegari. Hic est, qui familiaris
 Deo, principum & Caroli V. etiam fastidivit
 congressum. Hic est, qui cum corpore suo pa-
 ctum iniit, nunquam illi dare in vita requiem:
 hinc ei semper inedia, vigilia, verbera & acu-
 lei ferendi. Hic est, cujus baculus terræ infi-
 xus floruit: qui fratres suos vacua in domo
 coelesti de penu pavit: qui nungente cœlo op-
 pressus à nocte, inter intectos muros, pro for-
 nice ipsas coeuntes nives habuit, ut siccus sta-
 ret. Hic vir est, quem charitatis incendia, ne
 suffocaretur, in campos frequentem expule-
 runt, ut respiraret: quem contemplationis
 sublimitas, etiam corpore gloriosè radiante,
 in aëra non rarè elevavit: cui prophetiæ do-
 num & spirituum internotio de cœlo data:
 cui mortis hora præcognita: quem tertio &
 sexagesimo ætatis anno sanctè morientem,
 Theresia longè posita eodem momento co-
 gnovit glorioso comitatu cœlo inferri: quip-
 pe eidem S. Theresiæ paulò post in gloria spe-
 ctabilis narravit ingentia suæ poenitentiae in
 cœlis præmia. Hic deniq; Petrus, illustris mi-
 raculis

raculis, etiam post mortem, inter Divos Ecclesie à Clemente X. Anno M. DC. LXX. solenni ritu est annumeratus. *Breviarium.*

MEDITATIO.

De vita S. Petri ab Alcantara.

1. **O**rdinis Austeritates non explebant sitim ejus patiendi; iis quippe graviore addebat. Primum æquo animo patiaris, quæ necessariò pati debes, ut vocationis tuæ sanctitatem consequaris: tum voluntariæ afflictiones accedant interdum. Si licitis abstinueris, non admittes illicita. *Quanto facilius illiciti timebit, qui licita verebitur.* Tert.
2. Deum præsentem assidue cogitabat; quid impedit, quo minus identidem animus tuus in cælum avolet, & quidem ex mediis negotiis; singulis horis offer Deo, quod agis, & quod pateris. Actus amoris & actus contritionis momento fieri possunt.
3. Tantùm amavit proximum suum, ut toto pectore incubuerit in ejus conversionem. Postquam Ordinem suum in tota Hispania ad strictiorem vivendi modum redegit, convertendis aliis hominibus acriter operam dedit. Primum omnium attende tibi, deinde aliis omnibus qui tecum iisdem in ædibus morantur. Plus profunt exempla quàm verba. Oportet, ut de Christiano, maxime si religiosus sit, jure possit dici: ore, habitu, incessu, modestiâ se probat religiosum, ut olim Tertullianus de Philosopho. *Ipse habitus sonat, auditur Philosophus, dum videtur.*

SS. CA.

SS. CAPRASIVS & FI-
DES MM.

20. Octob.

*Omnis ergo, qui confitebitur me co-
ram hominibus, confitebor & ego
eum coram patre meo, qui in cœ-
lis est. Matth 10.*

VT fidem sanguine suo firmaret Capra-
sius, Fides Virgo suggestit. Nam cum
hæc anno post natum Servatorem trecentesi-
mo tertio pro Christo captiva in lassitudinem
omnes jam Carnifices dedisset, & denique in
craticulam abiecta esset lento igne crucianda;
vidit è specu sua, quâ delitescerat, Caprasius,
manifesta in luce Columbam cælo adventare,
quæ & rore asperso ardores temperaret, & ser-
to longè pulcherrimo caput Victricis corona-
ret. Puduit vinci à Virgine, & latere jam no-
luit, si talem se foemina proderet. Abiectus
proinde in preces oravit; si cœlo placeret
etiam virum in pugnam prodire vellet, jube-
ret, eo in loco fontem enasci. Sanguinem se
daturum, si aquam spelunca. Et dedit hæc
aquam, sed quæ Caprasio cruentam sitim ac-
cendit.

cendit. Hanc ut poneret, in urbem & in theatrum ad Tyrannum properare, & jam palam ostendere non frustra tamdiu in pulvere privato exercuisse sese; denique non modo inter omnia tormenta sibi constare, sed & longè plurimos alios in eandem sententiam pertrahere, quibuscum omnibus capite ultimo truncatus effecit, ut exiguus aquæ fons in flumina sanguinis excreceret. *Ex surio.*

M E D I T A T I O.

De divinis consolationibus.

1. **D**Eus consolatus est Martyres, & pœnitentes, in mediis suppliciis & austeritatibus. In terris prægustârunt illi quidem (quæ bonitas est salvatoris) parata sibi gaudia in cœlis. Ah? si unquam tuis in orationibus id genus delicias expertus esses, profecto fatereris, quòd meliores sunt lacrymæ orantium, quam gaudia Theatrorum. *Aug.*
2. Si nondùm probaveris, quàm suavis, sit Dominus iis, qui canofas mundi voluptates respuerunt, nunc demum proba. Divinis gaudiis satiaberis, si valere jufferis terrena. Non potes gaudere cum mundo, & lætari cum Deo: oportet ut alterutri nuntium remittas. Procul sit mundus cum voluptatibus suis? tibi soli, mi Deus, adhærebo, & in te solo lætabor.
3. Postquàm Deo te penitens devovisti, si minus potiaris suavitatibus, quas dat Deus, subducitque pro arbitrio suo, ne cadas animo: Eas dedit ut illiceret te ad

ad obsequium suum, has abstulit, quia superbiâ, nē
 eligentia, gratiarum contemptu dignus factus es, qui
 his priveris: dole, veniam pete, gratias age quia hâc
 consolationum privatione Deus tuæ consulit salutem.
*Tibi venit & tibi recedit; venit ad consolationem, recedit
 ad cautelam, ne magnitudo consolationis extollat te.* Bern.

S. URSULA Mart.

21. Octob,

*Despondi enim vos uni virò, virgi-
 nem castam exhibere Christo.*

Paul 2. ad Cor. cap. II.

Classem & vela spectas, omnia à castis ni-
 vibus candida, omnia à casto sanguine ru-
 bentia; virum in his nullum nisi hostem; sed
 omnes virilis animi; Amazones rectè dixeris,
 sed quas zonâ virgine nec victor Attila possit
 spoliare. Harum omnium ecce Dux Ursula
 est, Dianethi Britonum Regis filia; ob formæ
 florem Connano Armoricæ Dynastiæ despon-
 sa. Et verò jam ecce vela facit classis castissima,
 & pudori suo timens non tam in undis quàm
 lacrimis suis natat; jam Armoricam versus
 contra vota etiam sua feliciter fertur, jam ob-
 vius Hymenæus ingratum verecundis auribus
 obstrepit, cùm ecce tempestas suboritur & ar-

S

reptas

reptas naves in Rhenum aufert, Agrippinam
 Coloniam eiecit. Nimirum adversum hunc
 alii ventum dicent, at secundum Ursula vocat
 & castitati velificantem. Longum igitur exi-
 lium citis nuptiis præferens. Romam cum
 comitatuabit, inde iterum Coloniam. Sed
 longè gravior redeuntes procella excipit.
 Naufragium iterum minitatur Virginitati
 Hunnorum & Alanorum vis, quid agis pudici-
 titia? obluetaberis tot barbarorum insultibus
 Virginum agmen? enim vero pulchrum, Su-
 peri, facinus! ne pudor mergatur, omnes in
 Rhenum animas projiciunt, & ne telo cupi-
 dinis violentur casta pectora, ad barbarorum
 intentos arcus ultro jugulum offerunt.

Ex D. Ursula vita apud Lippeloum.

M E D I T A T I O.
 De S. Ursula.

1. **S** Ursula, Exemplo magis quàm verbo socias
 hortata est, ut castitatem vitæ anteponerent,
 Moriuntur omnes sed castæ, sed innocentes. Hinc
 discas vitam hanc nobis & brutis animantibus com-
 munem postponendam esse divinæ gratiæ, quâ Filii
 Dei, & castitatis, quâ similes Angelorum simus. Hæc
 sit vitæ tuæ norma, quam utique inculcare debes iis,
 quibus præes.

2. Una ex his undecim millibus virginum, animo
 ceci-

cecidit, & metu mortis delituit, perfectum nihil est in hoc mundo. Necessè est, ut veniant scandala & peccata in sanctioribus cœnobiiis, & congregationibus reperiuntur non sancti. Qui stat, videat, ne cadat: tuæ te pudeat imbecillitatis. Petrus Christum negat, Judas prodit, ambo tamen erant Apostoli.

3. At ex undecim millibus virginum una duntaxat delituit. In religiosis familiis, si per negligentiam & ignaviam unus cadat, stant, & perseverant quàm plurimi, Quin etiam cordula, generoso sociarum exemplo accensa, postridiè prodiit in publicum, & Martyrii palmam adeptæ est. *In religione (inquit Bernardus) homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautiùs.*

S. JOANNES BONUS.

22. Octob.

Facilius est, camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in Regnum Cœlorum.

Christus Matth. cap. 19.

Genuit Mantua Joannem Bonum, sed ô malum! bonum divitiæ non siverunt esse. Nempe dubites, an cùm demortuo parente hæreditatem adiit, plures nummos an vitia numeraret. Unica jam Mater suis apud

S 2

Deum

Deum precibus sustinebat in præceps ruentē, frustra etiam ipsa futura, nī morbus quoque manum iniecisset lectuloque affixisset. Hic, uti ferè amat, gustum illi voluptatum abstulit, quæ nuper tam sapiebant. jamque ut valeret Joannes, valere mundum iussit & vitam religiosam vovit. Hac salutari medicina in pedes erectus morbi sui fomenta (divitias) non invitus abiecit, & post vitam prope Cæsenam in summa austeritate aliquandiu actam, in eremum ad D. Augustini partes transiit, Ordinemque eum magnis incrementis & miraculis amplificavit, quin adeo subinde ad castissima vulnerum oscula ab ipsomet Christo in cruce est invitatus. Sed nondum etiam hic extra reli jactum Castitas stetit. Huc etiam sagittas suas misit Amor improbus. Et jam corpus à flammis impuris æstuabat, iam pudor vicinus incendia metuebat; cū contra tela infanda, tela alia, Arundines strinxit Joannes, & sub primores digitos tam validè ad egit, ut triduum exanimis jacuerit. Triumphavit tamen hostem à cælo recreatus, & eximius dehinc ab hostilibus ejuscemodi incurfibus vixit. Cupidine plus jam arundinum aculeos, quàm apum olim fugiente. *Ex Ferrey.*

MEDI.

MEDITATIO.

De periculis divitiarum.

1. **C**um toties Christus dixerit: *Va vobis divitibus?* parum sanus est, qui credit in divitiis nullum inesse periculum. Idipsum Christus exemplo suo demonstravit: venit in mundum, ut viam cœli nobis indicaret, pauper fuit, pauperes voluit discipulos, paupertatem commendavit; & nos Christiani amamus divitias? meditemur ea, quæ in Evangelio leguntur de divitiis; hæc meditatio amorem paupertatis, & divitiarum contemptum nobis ingenerabit.

2. Idcirco tam rara & tam difficilis est divitiarum & virtutum societas, quod divitiæ viam faciant ad omne profus peccatum, & infinitis curis sic omne tempus absumant, ut dives vix modicum, ad vacandum saluti, possit invenire. Quid multa? ut cupiditas divitiarum est malorum origo, ita pestis est virtutum.

3. Ergone divites de salute desperabunt? minimè: at illam si consequi velint, urantur divitiis suis ad solam Dei voluntatem. Nihil alienum retineant, nec bonis fragilibus opponant cor suum; ibi sit cor eorum, ubi verus thesaurus, hoc est, in regno cœlesti, quod paratur illis, qui bona benè collocaverint, eaque pauperum manibus ad cœlos præmiserint. *Divitiæ si diliguntur, ibi servantur, ubi perire non possunt.* Chrysoft,

S. SEVERINVS BOETIVS

23. Octobr.

*Veri adoratores adorabunt Patrem
in spiritu & veritate.* Ioann. 4.

Ipsum oculi tui Musarum Ocellum Boetium vident, cui vel hostis Theodoricus Rex Testimonium hoc dedit, omnes omninò scientias unum complexum fuisse, ut jam Græciæ Roma nec Ptolomeos, Nicomachos, Euclides, aut Archimedes, nec Pythagoras, Platonēs aut Aristoteles invideret. Tot tamen ætatum miracula unico ingenio clausa extinxit idem Theodoricus, furiis Arianorum (quos stylo Boetius confoderat) agitated. Cæterum clientem suum in ipsum carcerem usque Musæ sunt secutæ. Nam & in hoc librum *de consolatione Philosophiæ* & alterum *de Trinitate* ad socerum Symmachum scripsit, virum itidem eruditum & Consularem, quin in eadem causa piè post mortuum. Et Boetius quidem resectum caput utrâque manu memoratur humo sustulisse, interrogantiq̃ue per inurbanum jocum, à quo percussum se existimaret, seriò, *ab impiis*, respondisse; inde progressus in templum demisisse in genua sese, ac preces inter caput aræ, ani

IVS
 trem
 nn. 4.
 etium
 x Te.
 cien.
 ræcia
 Eucli.
 plato.
 a ata.
 cixit
 quos
 erum
 Mu.
 n/sola-
 erum
 itum
 pōst
 a ca.
 tilif.
 n, à
 mpiū,
 de-
 arā,
 ani

animum cœlo deposuisse. At Symmachus
 gladio & ipse cæsus suum sociiꝫ; caput abun-
 de fertur vindicasse. Siquidem cœnanti Theo-
 dorico portentosi piscis caput appositum Sy-
 machi ajunt imaginem induisse, hiantiꝫ
 ore & dente minitabundo ita perterruisse, ut
 metu mortéꝫ rigens infelicem animam in
 ollas (quemadmodum S. Gregorius refert)
 Vulcani expiraverit, tunc etiam multis de-
 flens innocentum Martyrum necem. Sed &
 hodie Musæ Boetium Symmachumꝫ; flerent,
 nisi in his oculos suos amisissent. *Ex vita Boet. &*

Bar.

M E D I T A T I O.

De amore veritatis.

1. **P**RO veritate vitam exposuit Serverinus. *Veritatem
 requirit Dominus.* Psalm. 30. & primò quidem ve-
 ritatem spiritûs, qui purâ charitate ad Deum tendat:
 ne igitur amor proprio Consiliario tuo intimo auscul-
 ta, dum carnis mendacia & mundi leges ac dictamina
 Evangelicæ veritati contraria obtrudit. Mentitur hic
 consiliarius & adulator tuus domesticus, & maximè
 decipit. Monet siracides cap. 37. *à Consiliario serva
 animam tuam.* Et nunquid sæpius hoc idolum adoras?

2. Dilige veritatem in labiis tuis. *Perdet enim Deus o-
 mnes, qui loquuntur mendacium.* Igitur mentiri & jura-
 re tua lingua prorsus ignoret, monet Ambrosius, *tan-
 tumque ante te sit veritatis amor, ut quidquid dixeris jura-
 tum*

sum putes. Odiffe etiam debes adulationem, absit, lingua tua adulando ulli vulnus infligat. Denique opera omnia verbum verax precedat te, & ante omnem etum consilium stabile. Eccl. 32.

3. Veritatem dilige in opere: non enim solum in verbis sed & in simulatis operibus mendacium est. Mendacium est, se Christianum dicere & opera Christi non facere, Mendacium est se sacerdotem vel Clericum profiteri & contraria huic ordini operari, Ambrosius. O Deus veritas? quam multo tempore Christianus sum, sacerdos sum &c, nomine, & paganus actione?

S. MARCIUS Confessor

24. Octob.

Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula & ebrietate. Christus cap. 21.

ORbi Romano Iustino Iuniore imperante, rectius sibi Marcius imperavit. Aula illi spelunca non procul Caleno in Campania, quanto angustior tanto augustior fuit; pincerna vero petra, quæ aquæ tantum quantum sat erat, quot diebus fida ministravit. Doluit demon malus & veterem serpentis larvam indutus sive oranti, sive cœnanti, sive quiquid demum aliud agenti accu-

accubare perstitit. Ille Orcum vicissim ludos
 faciens, nunc pedem, nunc manum ultro ori
 ita ingessit, ut tamen dentem malum figere
 hic minimè auderet, sed post triennium victū
 se fassus per alterum montis latus in præceps
 abiret, ambustis circum circa omnibus, quā
 volvebatur, arbustis. Sed ecce tibi pugnam,
 quā dæmon ceciderat, prostitutæ frontis fœ-
 mina parat restituere. Quis credat? pericu-
 losius longè certamen hoc Marcius credere,
 non jam ludere, sed fugere, sed in faciem abje-
 ctus nec oculo hostem audere aspicere. Cessit
 tamen etiam hæc, atque ne victam dubitares,
 mortua corruit, & subinde alii sanctiore con-
 silio ad Marcium inviserunt; quos inter pue-
 rum memorant, fallente vestigio, in subje-
 ctam vallem innoxie lapsum. Quid? quòd
 saxum ingens spelæo imminens & à rupe suā
 avulsum saltu Marcium transiit, qui jam à
 principio catenæ, quæ modum ambulationi
 præscriberet, pedem alterum illigavit; moni-
 tus tamen à D. Benedicto amoris potius funi-
 culis teneri vellet, catenam quidem posuit,
 cæterum longitudinem ejus nunquam exces-
 sit, nisi cum excedere deniq; mors felix jussit.

Ex S. Greg. P.

MEDI-

M E D I T A T I O.

De frugalitate.

1. **F**Rugalitas mors est vitiorum, & vita virtutum; est nimirum cibi, potûsque intemperantia coërcetur, animus fit purior, corpus validius, ac omnis homo ad orationem aptior; nam oratio, Tertulliano teste, jejuniis pinguescit. Qualem te præstas in frugalitate? nunquid interdum fraudare te posses cibis quibusdam delicatioribus, ut imitareris Dominum Jesum, qui in siti sua felle, & aceto potatus est tuâ causâ.

2. **G**ula longè alios habet effectus: aciem obtundit ingenii: impuras flammæ excitat: animam ab oratione avocat. Quam ob rem sancti omnes, initio, suæ conversionis assiduis jejuniis vitium hoc eradicare conati sunt, eos enim non fugiebat, quod ait S Hieronymus: *Jejunium non perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum, & sanctificatio est.*

3. **U**t ex eo vitio emergas, & virtutem ipsi contrariam assequaris, scire proderit naturam parvo contentam esse, & intemperantiam cum sanitati, tum sanctitati plurimum nocere. Veniat in mentem Jejunium Jesu Christi & aliorum sanctorum. *Quid terram nostrimus, corpus saginamus, animam verò contemnimus.* Chrysoft.

S. CHRY.

S. CHRYSANTHVS
& S. DARIA MM.

25. Octobr.

*Fidelis Deus est, qui non patietur
vos tentari supra id, quod potestis,
sed faciet etiam cum tentatione
proventum, ut possitis sustinere.*

1. Cor. 10.

Chrysanthus patre natus Polemio senato-
rii Ordinis viro, dum fortuito in manus
sumit, quem Evangelii librum dicimus, legit-
que, manus dare Christo discit, brevi lectio-
ne longè plurimum edoctus. At Polemius, ut
filium à Christiana disciplina dimoveret, ni-
hil non movere, carcerique demum mancipa-
re. Sed hic Gymnasii instar virtutierat. Ergo
ad insidias amicorum consilio versus cubicu-
lum adornat & omnibus delitiis instruit; ad-
dit mulierculas omni mundo muliebri præter
verecundiam superbas. Inter has collocatus
Chrysanthus tunc demum in carcere esse se
credidit & ingemuit. Quid faceret? clypeum
nempe (oculum clausum) objecit. Sed & Cæ-
lum

lum somno lenarum oculos obruit, tam profundo, ut castitati facile esset dormientium manusevadere. At ecce novum duellum Dariae Virgini & formâ & literis cultissime committitur. Pergit tamen ille Victoriis Victorias accumulare & sponsum expetenti promittit hunc, sed Christum. In has leges & pacis & nuptiæ promittuntur, quæ ut festivore apparatu fierent, plurimos ille juvenes, plurimas illa Virgines ad castitatis amorem traxit. Enim vero hic demum furere Venus & vinci toties tela sua indignata, Tyrannum animare, jamque Chrysanthum in carceres, Dariam in lustrum trahere. Sed illum contra tormenta lux cælo allapsa, istam contra lenones leo defendit. Ultimo vivi terrâ obruti castissimi Conjuges, primum thalamum, tumulum habuerunt. At olim degener Roma non castitatem sed impudicitiam sic tumulabas. *Ex Metaph.*

MEDITATIO.

De causis tentationum nostrarum.

1. **C**hrysanthus & Daria, (ille inter mulierculas Lenas, hæc inter Leones, Lenones) tentati & digni Deo inventi sunt. Sed Chrysantho pro clypeo fuit custodia oculorum, Dariae fortitudo Leonis propugnaculum. Quæ causæ sunt tentationum nostrarum? sæpe quia sensus non custodimus, occasiones

non evitamus, ordinatè non vivimus, aut molliter nimis creaturis adhæremus, aut quia satis non occupamur. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Jac. I. v. 14.

2. Est & Dæmon sæpè causa tentationum nostrarum, ipse enim odit imaginem Dei, ipse invidet homini & socium quærit damnationis suæ, ipse arrogat dominium cordis tui, & adorari in templo Dei? ipse peccato tuo intendit crucifigere Jesum Christum. & renovare ignominias ejus. Ergone tu obsecundabis desiderii ejus tentationi consentiendo? O Deus libera me aut saltem roborame, *tentavit Satanas cor meum.*

3. Deus permittit tentationes propter gloriam suam & majus tuum bonum vult explorare amorem tuum, Vult te in debita subjectione continere. Vult te obligare ad opem suam efflagitandam, vult tibi occasionem præbere beatitudinem promerendi. *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non.* Deut. 13.

S. FULCO Confessor.

26. Octobr.

Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus. Christus Luc. 17.

Qui

Qui pauperes esse Musas indignantur
 exemplum patientiæ licet à Fulcone
 mendicent. Hic extremâ rerum omnium in-
 opia pressus non tamen ideo minus literas co-
 luit dudum ab his ipsis edoctus somnia do-
 ctiora non post merum, sed aquas in Helicone
 potas obrepere. Quare non invitus à Magi-
 stro doctrinam, ab aliis victum vestitumque
 precario accepit. Et forte fortunâ ditiores a-
 des pulsavit, cum Ancillula stipem per jocum
 eâ lege porrexit, ut ne infulam unquam acce-
 ptaret. Enim vero jamjam prehensurus pa-
 nem Fulco manum illico retraxit, indignum
 reputans tam parvo lucello tam magnas spes
 vendere. Et placuit generosus hic animus usq;
 adeo ædium domino, ut victum deinceps cre-
 teraque vitæ præsidia omnia Fulconi liberali-
 ter suppeditaret. Itaque positâ molestâ pau-
 pertatis sarcinâ, cum liberius jam studiorum
 stadia decurreret, inter Canonicos, quos vo-
 cant Regulares, adnumeratus missusque Lu-
 tetiam Parisiorum Doctoris primò titulo or-
 natur, mox Placentiæ ad D. Euphemie reli-
 quis præponitur, inde Archipresbyter, inde
 Episcopus Placentinus, deniq; Papiensis etiam
 renuntiatur, & jam illa olim omnibus supplex
 manus annulo vestitur, caput omnibus aper-
 tum

tum Mitrà tegitur, doctaque egestas purpurâ involuitur. Sed tamen memor fortunæ veteris, dum vixit, qui nos semper mensæ pauperes adhibuit, totidemque cum Magistro suo Musarum clientes, & septem egentes viros nobiles aluit. Atque hi fecere, ut licet Virgo Fulco, pater tamen obiret. *Ex Ferrar.*

MEDITATIO.

*Nulla re inflari debet animus
Christianus.*

1. **N**E glories de divitiis, honoribus, & aliis commutabilibus fortunæ bonis, quia peiorem, non meliorem hominem sapius efficiunt; ne pariter ostentes naturæ dotes, nobilitatem, pulchritudinem, ingenium. Quid enim habes, quod immeritus non acceperis? gratias agere, non gloriari debes: Corporis & animi dotes labuntur cum tempore, & cum vita extinguuntur. Deus non talentorum, sed recti talentorum usus rationem exiget.

2. Non est quod infleris scientiâ? quid scires, amabo, ni Deus ingenium concessisset? tametsi vigiliis & studiis tuis magnam scientiarum suppellectilem tibi comparaveris, sic habeto, plura nescire te, quam scire; imò quod tumorem animi tui deprimere deberet, vel ultimus dæmonum, te scientiâ longè multumque superat. *Humilitas sublimioris Philosophia mater & origo* Chryf.

3. Cave

3. Cave, concessis gratis aut acquisitis virtutibus extollaris. Virtute caret, qui de virtute gloriatur. Nam humilitas fundamentum est virtutum omnium. Imitare demum viros sanctiores, non laudis desiderio, sed officii causa. Nosce te ipsum, nosce vilitatem, nosce malitiam, nosce peccata tua, & haud dubie humilis eris. *Tota humilitas est ut cognoscas te.* Aug.

S. ELESBAAN Confessor.

27. Octobr.

Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia.

Paul. ad Eph. cap. 4.

Non erubescant Reges in Regem Elesbaanum intueri, & ex ejus vultu, Æthiopicis licet, mores tamen suos componere. Bellum illigrave erat cum Rege altero Dunaano Iudæicæ superstitioni addicto. Causæ & Deo fidens purpuram quidem pugnaturus exiit, ceterum ingentes animos induit, quos majores etiam Anachoretas nescio quis illi fecit, cum, ut sibi DD. Martyrum præsidia (optimas utique auxiliares copias) accerteret, persuasit. His fretus cum in aciem descendisset, etsi initio laborare hæc videretur, pugna tamen ad extre-

mum

mum vicit, auspiciatissimo D. Gabrielis no-
 mine velut militari tesserâ tertium in aëre
 conclamato. Adhæc Superi Dunaanum ho-
 stem ita delusere, ut veluti fascinatus catenâ
 aureâ & se & amicos illigatos, quos quidem
 Victoriæ hic sacrificaturus eodem ferro om-
 nes immolavit. Sed nunc triumphum specta
 Lector. Hunc ecce, triumphali coronâ Hie-
 rosolymam missâ, Elesbaanus saccum non
 togam palmarum indutus, & solus obscurâ
 nocte in montem proximum ducit; casam nō
 Capitolium subit; vota victor vovet nunquā
 inde egrediendi; jamq; triumphales epulas
 pan nudo herbis ac fontanâ continuat, nulli
 hominum visus, uni sibi & Superis notus. Ni-
 hil hæc ad meos triumphos, ait Romulus. Sed
 sic triumphanti Cælum applausit. *Ex Metaphr.*

M E D I T A T I O.

De Ira.

1. **Q**uod stomachum, id tibi risum movere debe-
 ret. Irasceris verbulo, leviori jacturâ, vanâ
 honoris imagine; an hæc sunt tanti, ut animus tuus
 de sua sede moveatur? si te ipsum videres iratum, nun-
 quam certè committeres, ut insani, ebrii, energume-
 ni, & ferocioris bestię speciem indueres.

2. Duplex est ira, altera instar fulguris statim extin-
 guitur; altera verò, tanquam ignis supposito cinere,

T

diutius

diutius manet; prima quidem venia dignior est; si enim iracundia sit aliquod stultitiae genus, ea certe tolerabilior est, quae brevior. Ast, quae fovetur, & perseverat in corde, saepius degenerat in capitale odium. Quanta, quanta sit illata tibi injuria, sane nunquam debes obscurum odium fovere in fratrem. *Attende Christum propter te pependit in ligno, & nondum est vindicatus, & tu vis vindicari?* Aug.

3. Ut nunquam iram turberis, praevide occasiones irascendi, & appositis considerationibus para animum tuum, ut primos nascentis irae igniculos protinus comprimat. An poenas a te repetit Deus, quoties eum offendis? an extingues injuriam accensa iram? Memineris demum omnium potius quam patientiae jacturam faciendam esse. *Totum licet saeculum pereat, dum patientiam lucrifaciam.* Tert.

SS. SIMON & JUDAS A post

28. Octobr.

Quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Christus Ioan. cap. 15.

Vbi primum debellandum sibi orbem Apostoli sumpserunt, aliis aliò moventibus, Simon in Aegyptum, Judas verò Thadæus frater Simonis in Mesopotamiam expeditionem adornavit. Subactis iis provinciis

in Perside copias junxerunt, missaque iterum
 sub jugum Christi innumera multitudine, de-
 mum uno eodemque tempore & morte ambo
 fratres triumpharunt, quod spectaculum ne
 Romæ quidem toties triumphanti obtigit.
 Porro Iudas dudum antè Regem Edessæ adiit
 Abagarum (is est qui olim Christum, cum in
 vivis adhuc ageret, per amicas literas in regni
 societatem evocavit) telam ferens in qua vul-
 tum sui quam simillimum Servator expresse-
 rat, munus profectò si ipsum artificem suum
 non referret, ab artificis certè manu quàm
 maximè commendandum. Hoc ubi cubicu-
 lo decumbentis Regis fuit illatum, locum ili-
 co omnem inusitatâ luce complevit, mox a-
 spectu suo Abagarum à morbo recreavit, tactu
 verò persanavit etiam. In sacris undis cum
 omni aula sua ablutus imaginem conspicuo
 loco venerandam proposuit, ipse Epigraphen,
 literis aureo liventibus, in hunc sensum adjecit:
Spes nulli unquam imponit, quam quis in te Christe ponit.
 Rectè, ais, Dei effigiem in honore Abagarus
 habuit. Tecum sentio. Sed nego illos hodie
 rectè facere, qui vivos Dei vultus, animos in-
 quam perturbare per summam injuriam non
 verentur. *Ex Constant. Porphy. Hieron.*

T 2

MEDI-

MEDITATIO.

De SS. Simone & Juda.

1. **Q**uos amat Deus, eos ad se vocat, & secernit à populo, ut videre est in his Apostolis, qui filii erant Mariæ Cleophae, cognatae B. V. Jesus hos fratres plurimum amabat, forte hunc ipsis amorem conciliarat Maria. Solus Deus vocat, sed Maria pluribus impetrat vocacionem. *Anime mi renuntiemus saeculo, nam qui renuntiavit saeculo, major est honoribus ejus & regno. Cypr.*

2. Mundus persecutus est, & occidit hos duos Apostolos, quod ejus errores Evangelii luce dissiparent. Viri Apostolici? nunquam non persecutionem patiemini: mundum odio habetis, quid mirum si vos odio habeat mundus? gaudete, placetis Deo, cum displicetis mundo. *Mundus amat sibi similes.*

3. Generosissima amborum charitas, nec minis nec calumniis, nec suppliciis nec morte ipsa extinguitur. Mundus conabitur labefactare, quidquid Dei causam molieris; sed mactem perge forti, & constanti animo, Deo duce nihil non superabis! ne cures placere illis, quibus Deus non placet; imo latere, quia si mundo placeres, Christi servus non esses. *Displicemus ergo his, & gratulemur, nos iisdem displicere, quibus & Deus displicet. Paulin.*

S. NAR.

S. NARCISSUS Episcopus.

29. Octob.

Invisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoq; ejus virtus & divinitas.
Paul. ad Rom. c. 1.

FLorere sibi videbatur Jerosolyma, cum Narcissum haberet Pontificem odore virtutis charissimum patriæ & acceptissimum. Sed ex tam pulchro flore pessima aranea invidiæ venenum sibi suxit. Terni & ex mendaciis compositi cives in innocentiam conspirarunt, & sanctissimam viri famam foedissimi criminis delatione contaminare sunt aggressi; utque ruitura mendacia perjurio fulcirent, si fallerent, poenas ipsi sibi iudices rei dictarunt, & primus ignes, alter morbum foedum, ultimus oculorum orbitatem impreçatus est, omnes à Cælitibus non surdis audiendi. Etenim et si perfidiæ etiam juratæ nemo crederet, testisque maximus & unus omnium instar Narcissus, execratus tamen hic vel suspicionem facinoris subduxit se & silvarum exilio innocen-

T 3

nocen-

AR.

nocentem se damnavit. Mox tamen aliam
 adversarios sententiam cælum pronuntiavit.
 Primus enim ille cum omni familia igne tecti
 nescio unde illapso exustus facem, ut inno-
 centia pateret urbi, accendit. Alter horrido
 morbo obsessus uti à capite ad calcem usque
 sancti nihil, ita nihil sani habuit. Interea dum
 vindicem Deum tuentur, timuere sibi oculi
 tertii testis, & sceleris poenitudine hic ductus
 publicâ confessione perfidiam & lacrimis
 damnavit, sed tot ac tantis, quibus oculi ef-
 fluerent, mitissima vindicta, quod simul noxâ
 eluerent. Ita cæli patrociniò defensus muneri
 suo ac loco est restitutus, vixitque Narcissus
 quàm diu nullus flos alius vivit. C. & VI. an-
 nos. *Ex Euseb. l. 6.*

MEDITATIO.

*Deum mirari debemus in rebus
 creatis.*

1. **M**irum in modum elucet divina sapientia in per-
 fecto ordine mundi universi. Rerum creatu-
 rum varietas, temporum vicissitudo, mare, terra, cæ-
 li, omnia denique enarrant gloriam Dei. An filebo
 ipse, jubilante Deo omni terrâ? *Omne istud, dum præ-
 bet ministerium, præbet exemplum. Euch.*
2. Divina bonitas splendet in rebus creatis, præ-
 fertim in hominibus, quibus non solum necessaria,
 sed & delectabilia ultrò concessit? par pari, quantum

in nobis est, referamus. Demus Deo non modò, quæ
 anobis exigit, sed prorsus omnia, quæ ipsi dare pos-
 sumus. Deus nemini concedit in liberalitate, & haud
 dubiè vel in hac vita centuplum accipiemus.

3. Emicatitem divina potentia in rebus creatis, quæ
 omnes parent DEO, sic, ut præter naturam suam a-
 gant, cum jubet præpotens rerum omnium Domi-
 nus. Divinæ voluntati nihil resistit. Anime mi? quo
 usque Deo resistes? quousque quiesces? in bonis crea-
 tis, ut in ultimo fine? utere quidem, sed non abutere
 bonis terrenis, & per creaturas ascende ad creatorem.
*Disce amare creatorem, ne teneat te, quod ab illo factum est,
 & amittas eum, à quo ipse factus es.*

S. ZENOBIVS ET ZE-
 NOBIA.

30. Octob.

*Ut digni habeamini in regno Dei pro
 quo & patimini. ad Thessal. 2. Epist.
 cap. 1. v. 5.*

A Deste hæredipetæ filii & dilapidare (né-
 que enim hoc jam vetabimus) patrimo-
 nia vestra à Zenobio nostro discite. Iste ubi
 hæreditatem paternam adiit, totam hanc in
 pauperes & ægros intra non multos dies effu-
 dit. Quid frontem contrahitis tam subito a-
 vari? rectiùs poterat sua locare quàm celo,

T 4

quò,

quò, quidquid accipiunt, fidæ pauperum manus ferunt? Sed & viventis etiamnum manus munificam remunerare Deo placuit, quando arte medicandi tantâ imbuit, ut vel ad tactum ejus omnes passim morbi fugerent, ac deinde in patria urbe Ægis pontificali pedo, palmâ denique gloriosâ ornavit. Hanc ille scilicet Lysia Proconsuli inter omnia tormenta victor extorsit. Et fortè ab equuleo pendens cassas tyranni minas despiciebat, cum Zenobia etiam soror Zenobia accurrit, & verò eodem tam forti sanguine se prognatam jactans sociâ Germano se junxit. Lysias utrumque in ferreum lectum injici & subjici ignem jussit. Sed hunc Cœlû mitiore rore facilè temperavit. In fornacem succensam post hæc abjecti iterum flammam triumpharunt. Superis acclamantibus & certos esse beatitatis jubentibus. Meruere ergo laurum, quâ ut coronarentur, capita securi submiserunt. *Ex Metaph.*

M E D I T A T I O.

Cœlum labore venditur.

1. **N**E nos ita amemus, ut putemus nobis cœlam gratis datum iri. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Terra hæc locus est prælii, non quietis. Sancti viam cœli sudoribus, lacrymis & sanguine consperserunt. Oportuit Christum pati, & ita

ita intrare in gloriam; nos verò (quæ nostra ignavia est) gratis petimus, quod Christo & sanctis omnibus tanti stetit.

2. Quidquid agis, quidquid pateris, sanè leve quidpiam est, si comparetur vel cum eo, quod meretur Deus, vel cum eo quod Christus passus est, ut tibi viam muniret ad cœlum. Quare age, patere æquò & alacri animo: nam *quod tribulationis sustines, momentaneum est, quod gloria præstolaris æternum est.* Petr. Dam.

3. Jugum Christi suave est, durissima vero mundi servitus. Quid non agit miles honoris. causâ? auri famas quibus periculis mercatorem objicit? quid non molitur vesano amore percitus, ut voti compos fiat? quibus demùm artibus extorquetur Principum gratia? Tu ipse quid non agis, quid non pateris, ut vanitati servias & voluptati? quando nã Dei gloriæ & tuæ salutis studebis, ut adhuc mundo & corpori studuisti?

S. VVOLF GANGVS Episcopus.

31. Octob.

Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Paul. ad Rom. cap. 15.

S Tellam parturire sibi Mater Wolffgangi videbatur. Non sefellit, Wolffgangum peperit

T s

peperit, Sidus, à quo omnis Bojaria illustrata se fatetur. Natalium splendori jam inde a puero majorem lucem à bonis artibus, maximam deinde à virtute accendit. Hæc cum inter Herciniæ silvæ. Ascetas aliquandiu latuisset, suis tandem se radiis prodidit, & præluere Bojis Ratisponæ iussa est. Agnovere in Præsule suo vitæ Magistrum omnium ordinum homines. Virgines præcipuè Deo dicatæ, quæ ille à vitæ, ad quàm nunc etiam pronum est deficere, licentia, ad sanctiorem disciplinam faciliè omnes revocavit. Postea in desertos montes aufugit, struxitque sacellum miraculis etiamnum inclytum. Sed non potuit oculos effugere Stella tam nobilis Retractus Wolffgangus post longam absentiam pulchrius jam Ratisponensibus velut post tenebras luxit. Illud minimè tacendum Henricum Bavarum postea Augustum educasse, illique Imperium tum in vita, tum à morte sua prædixisse, nam ferunt Henrico dormienti Wolffgangum adstitisse & parieti gemina hæc verba (Post Sex) inscripsisse: expectatum illum mortem primò in sextum diem, post in sextum mensem, tum in annum sextum expectasse, sed tunc pro morte Imperium scilicet adiisse. At Wolffgangum, cum assem omnem suum in

in fratres (ut ipse vocabat) pauperes partitus
 esset, cælum ex ipso templo D. Othmari, qui
 & Episcopatus illi & mortis vates fuit, ad se
 rapuit. Nec injuriam terræ fecit, suum abstu-
 lit, stellam tulit. *Ex Surio.*

M E D I T A T I O.

De triplici gradu charitatis in proxi- mum.

1. **D**ebemus ut parentes, & amicos amare; hoc
 enim præscribit natura. Verùm, ut is amor sit
 Christianus, Dei voluntatem potius, quàm innatam
 nobis propensionem spectare debemus. Hæc volun-
 tas Dei sit causa, & modus tui amoris. Eos amare te
 probaveris, si consulueris eorum saluti, & eorum o-
 nera patienter portaveris; id exigit amicitia & chari-
 tas Christiana.

2. Eos etiam amare debemus; quibus nec affinita-
 te, nec alio quovis vinculo conjungimur. Parùm cer-
 tè est, parentes & amicos diligere cum is amor nobis
 sit ingenuus; at magni meriti est, alios omnes Chri-
 stianos potissimùm, amare, *qui dignius fratres & dicun-
 tur, & habentur, qui unum patrem Deum agnoverunt.*
 Tert.

3. Postremò summum charitatis est, inimicos dili-
 gere. Quàm difficilis est injuriarum remissio, si natu-
 ram audiamus? quàm facilis, si intueamur Jesum pro
 inimicis suis morientem? Huc accedit, quod gene-
 rosus sit, parcere inimico, quàm mori pro Christo,
 hæc

hæc enim habet S. Gregorius Naz. de S. Stephano. *Majus aliquid Deo morte offerens nempe animi moderati-
nem, & inimicorum dilectionem.* Greg. Naz.



NOVEMBER.

FESTUM OMNIUM
SANCTORVM.

i. Novembr.

*Sancti per fidem vicerunt regna, ope-
rati sunt justitiam, adepti sunt re-
promissiones.* Paul. ad Hebr. cap. ii.

IN nuce iliadem, in pagella, inquam, omnes
Sanctos tenes. Cæterum quæ festo huic diei
origo fuerit, lubet denarrare. Et principio id
constat, cum Deos jam Romani plures ferè
quàm homines numerarent, fanum exædifi-
casse, in quo totus Deorum Dearumque grex
stabularetur, & hoc ipsum ex re Pantheon di-
xisse. At anno, postquam Dii omnes uni ces-
sere Deo, nono supra sexcentesimo, Bonifa-
cius IV. PP. vacuum à dæmonibus locum lu-
strare aggressus, rectiùs hunc Virgini Matri
& Divis Martyribus sacrum voluit esse. In eam
rem

5167

rem X
cum t
indu
sancti
annu
simu
sanxi
do,
quod
coelo
clesia
die v
exor
Nam
do u
Roma
I
i. V
qui p
met
frau
mac
van
Am
2
divi